



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Praxis Cvræ Pastoralis Præcipve Circa Repentina & Generaliora

Possevino, Giovanni Battista Bernardino

Coloniæ Agrippinæ, 1645

Patresfamilias quinon absoluendi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42220

tam mortale obligantia, quæ communiter in Scholis cum Catechismo doceri solent: si Confessarius depræhendat pœnitentem ignorare ea, quæ diximus, nec ad ea quàm citissimè poterit perdiscenda idoneum, non debet eum absoluerè; si verò ad ea mandandum memoriæ paratum sese exhibeat, si tamen alias à Confessario (siue ipsemet is sit, siue alius) vel speciatim à Pastore suo hac de re admonitus fuerit, (debebit autem hæc recordari, vt commodius interroget) neque tamen tantum studij adiunxerit, quantum debuit pro capacitate suæ personæ, eo usque absolutionem differat, donec aliquo modo satisfaciat: verum si hac de re admonitus à nullo fuerit, postquam eum in supradictis ita generaliter instruxerit, vt cum tempore reddatur absolutionis capax, poterit eum absoluerè.

Patresfamilias qui non absoluendi.

Si patres, aut matresfamilias fuerint, qui curæ suæ subditos, siue filios, & filias, siue seruos & ancillas, (quæ particulatim interrogare meminerint) cum rudimenta fidei non teneant, addiscere non compellunt, vel non aduigilant, vt Decalogi, & Ecclesiæ Romanæ præceptis obediant, vel quod peius est, ab eorum obseruatione eosdem prohibent, vt faciunt, qui seruos, & ancillas usque adeo occupatos diebus profestis detinent, vt propria necessitate urgente diebus festis operari quodammodo cogant, vel temporis tantum non tribuant, vt secundum Ecclesiæ præceptum, sacro officio Missæ interesse queant, aut qui nescientes quinam eorum, qui in familia

sua degunt, legitimum habeant impedimentū, promiscuè tempore Quadragesimali, aut alijs ieiuniorum diebus, cœnam, vel tempore ante meridiano escam ante horam debitam in ædibus præbent, vel dari patiuntur: aut si, quando hæc præcepta transgrediuntur, eos non reprehendunt, nec corrigunt; vel si serui corrigi nolint, & cæteris scandalo sint, è domo sua quam primum eos ablegant.

De administratione Familia.

In omnibus his peccatis, nisi re ipsa præstet officium suum, negligentiamque in familia administratione commissam, & quantam ad ea, quæ dicta sunt attinet, in posterum sese emendare promittant, nullo modo eos absoluat, quòd si in se recipiant ea se facturos, nec horum admoniti vnquam à Confessario, vel Pastore præscripto modo fuerint, poterit eos absolvere: quod si sapius fuerint reprehensi, nec sese correxerint, tamē absolutio differatur, donec promissa appareant, veræque emendationis argumenta aliquo temporis spatio ostenderint.

De luxu vestium.

Confessarius eundem cum eis modum seruabit, qui contra Conciliorum nostrorum provincialium, præcipuè verò Tertij Constitutionis, ac alios Canones nostros diebus festis operantur, vel à venditionibus, & similibus, quæ in illis prohibentur, non abstinent. Idem etiam seruetur cum ijs, qui in immoderato corporis ornatu & fastu mortaliter peccant.

Ac verò cum hac tempestate luxus vestium ad summum, quòd conscendere potuit verticem

videa-